



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI LIBRI QVATVOR.

Cucchi, Marco Antonio

Coloniae, 1564

VD16 ZV 4150

Sacramento Ordinis. vij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62908)

LIBER TERTIVS. 183

cathecuminorū prius ante baptismum, mox chrismate ante solennia baptismi peracta. vngitur etiam chrismate, dum confirmationis munus accipit: quod non nisi ab Episcopo impendi potest, quamvis cæteræ vnctiones per quemvis presbyterorum fieri possint. vngitur demum, cum infirmatur, vt & corpus & anima feruentur. quæ vnctiones cuius Christiano communes sunt: aliæ verò non omnibus conceduntur. Episcopus enim chrismate caput, manusque inungitur. vngitur altare dum consecratur. templum cum dedicatur. calix cum benedicitur. Itē vngitur Princeps secularis in brachio, seu in humero, vel harmo: non in capite, vt olim. ^b

b toto tit. de sacr. vno Elio.

De Sacramento Ordinis.

Tit. VII.

QVia suprà libro primo satis docuisse arbitramur, qui sint clericorum ordines, superfluū existimamus hīc circa sacramētum ordinis pluribus insistere: quod sacramentum institutum est, cum signo impositionis manuum, alijsque ritibus solennibus. quamvis enim Christiani omnes sint sacer-

sacerdotes, vt spiritales hostias, id est semetipsos Deo offerre, & nomen eius laudare, & vtiliter inuocare in omni loco possint: non omnes tamen sunt ecclesie ministri, sed iam inde ab ecclesie initio selecti sunt quidam, qui muneribus ecclesiasticis fungerentur: & hi in nouem classes distincti sunt, quas supra libro primo recensuimus. quauis Theologi infimam & supremam classem inter has non recenseant. Hoc autem sacramentum verbis Christi nititur pluribus locis repetitis, & duplicem potestatem confert, ordinis videlicet, & iurisdictionis. sub quarum altera cadit verbi diuini ministerium, administratio sacramentorum, & ecclesiarum ordinatio ad ædificationem. sub altera potestas excommunicandi, & pœnitentes absoluendi.

De Sacramento Matrimonij.

Tit. VIII.

Matrimonium est Sacramentum, quo vir vnus vnaq; mulier perpetuò, & indissociabili vinculo coniungantur. duæ etenim Christiani matrimonij leges præcipuæ sunt, altera, vt sit inter duos tantum: id est, vnus viri, &